Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema VII.

urn:nbn:de:bsz:31-130978

Visual Library

ſubleuandi, conſolandi. die Hülffs-Hand ſoll man bieten. Hoc omnes debent. Præſertim qui poſſunt pauperes iuuare nummis.

IV. Pars.

Socrus Petri reſtituta, gratitudinis loco, legitur ſeruiiſſe Chriſto & Apoſtolis. Menſam parat. Facit quod poteſt.

L. Sanitati reſtituti ſint grati erga DEVM. Caueant à peccatis, Joan. 5. v. 14. Et erga benefactores Medicos, & alios, &c.

FINIS.

THEMA V.

Matth. 9.

Hiſtoria de reſuſcitatione filiæ Iairi, &c.

Hæc ſupra in Claſſe IV. quatuor Diſpoſitionibus prolixe eſt explicata, ex hiſtoriis trium Euangeliſtarum. Vide I. part. Promptuarii, pag. 268. & ſeqq.

THEMA VI.

Matth. 10. verſ. 28. ad 37.

Nolite timere ab iis, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt, &c.

Hæc ſupra tractata inuenies peculiari Diſpoſitione, Numero XIII. in Claſſe VII. pag. 576.

De Capillis autem capitis numeratis, &c. etiam infra in hac parte ſequetur pecularis Diſpoſitio, Num. XII. Ex Luc. 12. v. 18.

THEMA VII.

Matth. 22. à verſ. 23. ad. 33.

Diſputatio Sadducæorum de reſurrectione mortuorum, habita cum Chriſto.

DIS-

DISPOSITIO.

Vobis omnibus conſtare arbitror, Tres fuiſſe temporibus Chriſti ſectas diuerſas apud Iudæos.

Alii dicebantur Eſſæi vel Eſſeni, de quibus hiſtoria quidem Euãgelica tacet; at ex aliis ſcriptoribus conſtat, quod vixerint Cœlibes, & facultates in commune contulerint, hortos coluerint, & Medicinã exercuerint. Seorſim autem habitarunt in extrema ora Iudææ ad lacum Aſphaltiden. Hielten ſich doch ſtill.

Alii erant Phariſæi, Iudęorum Ieſuitæ, qui ex Euangeliſtarum hiſtoria nobis plus ſatis ſunt noti.

Tertii erant Sadducæi: quorum quæ fuerit religio, patet ex Act. 23. v. 8. & hoc loco: negarunt enim inter cætera reſurrectionem mortuorum.

Quamuis autem inter has ſectas nulla fuerit conſenſio, contra Chriſtum tamen conſpirarunt Phariſęi, & Sadducæi, ſicut, Pilatus & Herodes.

Cum autem ratio humana interdum hęreat in hoc ipſo errore, operæ pretium erit, primum examinare argumentum Sadducæorum, quod contra articulum ſymboli XI. proferunt magno cum hiatu.

Deinde vero reſponſum Chriſti penſitandum: in quo primum refutat Sadducęos: deinde argumentum pro reſurrectione affert validiſſimum. De his dicemus ordine.

I. *Pars.*

Sadducæi aggreſſuri Chriſtum calliderem (ſuo iudicio) agunt, & ex ſcripturis ipſum conuincere conantur atque abſurdum hinc extruere volunt, hoc modo. Proponunt Chriſto legem Moſaicam & conſtitutionem illam Deut. 25. v. 5. qua mandatum erat, vt fratre vno ſine liberis mortuo, alter frater viduam duceret, & excitaret defuncto fratri ſemen.

Ponunt ergo caſum [ſiue is vere acciderit inter illos, ſiue fictus ab ipſis fuerit [fuiſſe ſeptem fratres, quorum ſex ſine liberis decedentibus nupta fuerit illa, quæ pri-

mum

mum fratrem habuit, ſine prole mortuum. Et quia nullus frater poterit ſemen relinquere, tandem etiam nupſiſſe viduam ſeptimo fratri, vt is vel tandem excitaret ſex defunctis ſemen.

Sicque hanc viduam ſucceſſiue habuiſſe ſeptem maritos, qui fratres fuerint.

Abſurdum autem fore, ſi in reſurrectione mortuorum vna fœmina habeat ſeptem maritos: aut ſi vni tantum adhæreat. Cæteris ſex (olim ſuis maritis) excluſis. Ideoq; non eſſe ſperandam mortuorum reſurrectionem.

Hoc prodigioſo argumento ſuam ſtultitiam Sadducæi ſatis declarârunt: quod tantum carnalia ſapiant, & in ſpiritualibus cœci plane ſint.

Locvs I. Videmus, quomodo Satan ſemper fuerit inſidiatus articulo illi, de reſurrectione mortuorum. Olim per Sadducæos, poſt per Hymenæum & Philetum, poſt per Valentinianos & Marcionitas, & tandem per Libertinos, &c. Et metus eſt, ne multi, licet ore profiteantur ſe credere mortuorum reſurrectionem, in corde tamen negent idipſum. Multi factis teſtantur, quod non credant reſurrectionem mortuorum & iudicium.

Ratio, cur Satan hoc tenet, eſt hæc, quia eſt extrema clauſula prædicationis noſtræ, omniumque miſeriarum, &, vt Tertullianus habet: fiducia Chriſtianorum. Et ſi non eſſet reſurrectio, miſerrimi omnium eſſent Chriſtiani, 1. Cor. 15. Juxta tamen videmus, argumenta contra reſurrectionem mortuorum tantum ex cœco rationis humanæ iudicio peti Quod enim rationi impoſſibile & abſurdum videtur, id protinus negat verum eſſe poſſe.

II. Quod in hoc articulo religionis fit, id in cæteris omnibus fit; vt cum philoſophicis & rationi conuenientibus argumentis videantur myſteria ſacra explodi poſſe, mox circa illa craſſiſſima oriantur errores. Exemplo eſt articulus de cœna. Quia Capernaitis Ioh. 6. v. 52. & modernis etiam abſurdum eſt, Chriſtum dare corpus ſuum ad manducandum: ideoque negatur eſſe verum. At my-

ſteria ſacra non diſcuntur ex Ariſtotele, nec poſſunt concludi Philoſophorum tendiculis.

II. *Pars.*

Chriſtus primo refutat hoc argumentum Sadducæorum. Non fore talem connubiorum rationem, qualis eſt in mundo, ſed ſimiles futuros electos Angelis, qui non nubunt, &c.

Deinde ſimul oſtendit, oriri errorem Sadducæorum ex ignorantia, 1. ſcriptura, quæ de ſtatu alterius ſeculi docet 2. Potentiæ Dei. Quia non cogitent, Deo eſſe poſſibile, ſi angelo credimus, Luc. 1. v. 37.

Tertio. Veritatem articuli de reſurrectione mortuorum aſſerit hoc inexpugnabili argumento Deus eſt Deus viuorum. Dicitur autem Deus Abrahami, &c. Exo. 3. v. 6. Ergo neceſſe eſt, vt illi viuant coram Deo. Et per conſequens, viuent etiam alii coram Deo, qui nobis videntur plane eſſe extincti.

Loc. I. Iſta Chriſti reſponſione, quod ſimiles ſimus Angelis futuri, multa, quæ nobis interdum abſurda incidunt, de ſtatu alterius ſeculi, poſt reſurrectionem, poſſunt iugulari, & ſic compeſci ratio obmurmuratrix.

Sæpe cogitamus, quid de coniugibus bigamis aut polygamis in vita æterna: quid item de liberis illorum ex vno & altero matrimonio natis, futurum: Quomodo mãducaturi & bibituri ſimus. Qualia habituri exercitia, &c. Reſpon. plane ſuperflua hæc ſunt. Angelis ſimiles erimus, nec coniugio, nec cibo, potu, &c. indigebimus. Licet enim ſumus hæc noſtra habituri corpora ratione ſubſtantiæ, erunt tamen illa ſpiritualia, 1. Cor. 15. v. 44. Suſpendamus has phantaſias, vſque dum perueniamus ex Fide ad Vide, ex ſpe ad rem. Nihil nobis felicitatis deerit: ſi modo hoc agamus, vt illuc veniamus. Omnia erimus, omnia habebimus, omnia cognoſcemus, 1. Corin. 13. v. 12. 1. Joh. 3. v. 2. Oculus non vidit, Eſa. 64 1. Corin. 2. Vnum

hoc

hoc ſciamus. Non poſſe ineffabilem illam gloriam iuxta huius mundi ſtatum æſtimari. In ſpeculo, 1. Cor. 13. v 10.

II. De mortuorum reſurrectione hic infallibile argumentum habemus. Extant de hac teſtimonia Veteris & Noui Teſtamenti ſatis clara, Eſa. 26. Dan. 12. Joh. 5.

Extant exempla, 1. Reg. 17. 2. Reg 4. & 13. Luc. 8. Joh. 11. Act. 9. & 20. Ergo qui dubitat, Chriſtianus non eſt. Qui vero non dubitat, & tamen in morte trepidat, non intelligit, quid credat.

III. Omnis error in Religione naſcitur ex ignorantiam ſcripturæ, 2. & omnipotentiæ Dei: Hæc ad locum de Cœna egregie poſſunt accommodari. Sed & ad alios omnes.

IV. Conſolatio eſt, quod mortui etiam Deo curæ ſunt: quod de Abrahamo, &c. conſtat Viuunt illi Deo, licet nobis ſint mortui.

FINIS.

THEMA VIII.

Mar. 14. v. 38.

Vigilate & orate ne intretis in tentationem.

Diſpoſitionem huius Thematis vide ſupra in primæ parte Promptuarii, huius, cum pluribus aliis eiuſdem argumenti, in Claſſe VI. Num. X. pag. 466.

THEMA IX.

Luc. 2. v. 29.

Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, &c.

Vide Diſpoſitionem huius Thematis ſupra in I. parte Promptuarii, Claſſe II. Num. XVI pag. 146.

Quod ſi forte alicui placet alia eiuſdem loci Diſpoſitio, poterit eſſe talis etiam, vt ſequitur.

Verba hæc ſunt Simeonis illius ſenis cuius Lucas meminit cap. 2. Vir autem erat pius & Deum timens, & deſiderabat videre Chriſtum in carne.

Acce-